



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Capitvla.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

## P R O O E M I V M.

**E**go Edmundus rex mando & præcipio omni populo seniorum ac iuniorum qui in regione mea sunt ea quæ inuestigans inuestigavi cum sapientibus clericis & laicis.

## C A P I T V L A.

## I.

In primis quomodo possem Christianitatem magis erigere, & magnum nobis necesse visum est, vt amicitiam vestram & benevolentiam teneamus inter vos in toto regno meo, & mihi valde displicent, & vobis omnibus multiplices & iniustæ pugnæ quæ inter vos ipsos fiunt, vnde diximus: Si quis post hæc hominem occidat, ipse sibi portet inimicitia factionem, nisi amicorum suorum auxilio intra vnum persoluet eum plenum vveregildo, sit natus sicut sit. Si eum cognatio sua deserat, & pro eo gildare noluerit, tunc volo vt omnis tribus vel cognatio illa sit extra factionem, præter solum malefactorem, sed deinceps ei nec victum det nec pacem. Si quisquam cognationis suæ firmet eum postea, reus sit omnium quæ habebit erga regem, & portet fudam erga contribuales, quia primitus reproba- uerat eum. Si ex mortui cognatione quis vindictam perpetret in aliquem alium præter ipsum malefactorem, sit inimicus regis, & perdat totum quidquid habet.

## II.

Si quis ecclesiam requirat vel burgum meum, & ibi assiliatur vel affligatur, qui hoc fecerit, eiusdem culpabilis quod supradictum est.

## III.

Et nolo vt aliqua *sbtev vita*, vel manbota, condonetur.

## IV.

Amplius indico quod qui sanguinem fundat humanum nolo focnam habere in familia mea, antequam diuinam emendationem suscepit, & ad omne rectum inclinetur, sicut episcopus docebit in cuius scyra fuerit. *Sequitur in Iornalensi libro hoc capitulum:*

*De sponsalibus contrahendis tempore regis Edmundi.*

Si quis virginem vel viduam ducere velit, & hoc illi placeat & amicis suis, tunc rectum est vt bridguinum per Dei iustitiam & sæculi ius competens, in primis promittat

*Concil. Tom. 25.*

I ij

& vadiet eis qui paranympfi sunt quod eo modo quærat eam, vt secundum Dei rectum pertinere velit, sicut sponsus debet legitimam sponsam, & plegient hoc amici sui. Postea sciendum est cui fosterleanum pertineat. Vadiet hoc bridguina, id est sponsus, quid ei dare disponat cur eius eligat voluntatem, & quid ei destinet, si superuixerit ipsum. Si sic quoque conueniat, rectum est vt dimidiam pecuniam habeat, & totam, si simul puerum habuerint, nisi deinceps virum capiat. Totum hoc vadio confirmetur, & amici sui plegient. Si tunc omni re concordent, adeat cognatio & despondeat eam *to wryte & to ryghtlyte*, id est in vxorem & rectam vitam, & excipiat inde plegium qui ius habet in vadio. Sed si de ipsa terra velit ipsam ducere in terram alterius taini, consilium est, vt amici habeant pactioem, ne quis ei faciat iniuriam. Et si illa forisfaciat, vt possint esse propinquiores emendationi, si non habeat vnde componat. Huic dationi debet interesse presbyter, qui cum Dei benedictione debet eorum consortium adiuuare in omnem sanctitatem. Bonum est prouidere ne ex aliqua consanguinitate sibi pertineant, ne iuste postmodum separantur qui sceleratis nuptiis consenserunt.

CONCILIVM TRENORCHIANVM  
ANNO CHRISTI DCCCCXLIV.

ANNO  
CHRISTI  
944

**A**CTOR est Petrus a sancto Juliano in originibus Trenorchianis, anno Christi DCCCCXLIV. Gisalberti ducis euocatione congregatam fuisse Synodum in eius loci monasterio, ad eamque conuenisse archiepiscopos duos, Guidonem Lugdunensem & Gofridum Vesontionensem; episcopos quinque, Gotescalcum Lausannensem, Rotmundum AEduensensem, Hildebadum Cabilonensem, Maimbodum Matisconensem, & Alchierum Gratianopolitanum, cum abbatibus, clericis, & monachis permultis. Ab his autem vno consensu decretum, vt sacre monasterii reliquæ, quæ orto inter monachos discidio propter ducem, qui ineptum illis abbatem imponere nitebatur, ad sanctum Portianum apud Aruernos exportatæ fuerant ante triennium, missa legatione reposcerentur, solenni que pompa excepta in pristinis sedibus collocarentur. Re peracta, omnem protinus qua vexati fuerant calamitatem desisse.